






ORATIO
IN CELEBRI ARCADUM
ACADEMIA
Dum publicè plauderet
CLEMENTIS
UNDECIMI
PONT. MAXIMI
INAUGURATIONI
HABITA
AB JO: VINCENTIO LUCCHESINIO
LUCENSI.





ROMÆ, MDCCI.
Typis Lucæ Antonii Chracas, propè Magnam Curiam INNOCENTIANAM.
SUPERIORUM FACULTATE.



ORATIO.



UAMQUAM plerumque Virtus tanto robore, tantâ ſeveritatis indole ſit, eâque aſperiori diſciplinâ ita formet, ac imbuat ornatiſſimorum hominum ingenia, ut ſatis ſuis opibus inſtructi, partiſque ſibi animi bonis beati, nullis capiantur laudum illecebris; negligant etiam æternam ſui memoriam literis conſecrari; nec quidquam ad tuendas immortalitatis divitias, ad augendam nominis dignitatem, præter ipſam virtutem ſibi præſidio, aut ornamento eſſe ducant;

cant; tamen cum maximè Reipublicæ intersit egregios Viros efferri laudibus, atque in hominum luce versari, non est, cur ipsorum magnanimitati morem geramus, nec patiamur tantùm detrimenti ex hac una, quantùm utilitatis ex reliquis eorum virtutibus Rempublicam capere. Etenim si illustrium virorum exemplis alitur virtutis amor, si cupiditate gloriæ fovetur, si spe propagandi nominis viget, quis sui compos, aut publicæ fælicitatis cupidus temperare sibi possit, quin rebus præclarè gestis memoriæ proditis, eisque auctis honestissimo laudum præmio Cives ad desiderium virtutis incen-

cendat, quò maximè ſalus publica continetur. Quamobrem eò magis enitendum reor, nè ſilentio premantur eximia Principum facta, quò plus Reſpublica ab eorum ſplendore, veluti à majorum Syderum influxu, propitiæ lucis ad proſperam rerum omnium moderationem mutuatur. Proindè qui rerum potiuntur hanc etiam ſtudeant inire à Civibus gratiam, æquanimitèrque ferant, ſuarum virtutum prædicatione illos tàm utilem navare ſibi, ac poſteris operam; nolint tanto comunis utilitatis damno ſapientes eſſe, atque ita ſecum ſtatuant, amplitudinem iſtam animi, Privato-

rum virtutem esse; publico verò terrarum Orbis Parenti vitio dari quicquid non consulit omnium bono, nec sibi laborandum quid Privatum, sed quid Principem deceat. Credo equidem, Auditores, vos neutiquam pendère animi, quam viam insistat, aut quò mea digitum intendat Oratio. CLEMENTEM XI. Pontificem verè Optimum, Maximum, prosequi meritis laudibus meditantem, tacitus me timor invaserat, nè huic salubri, æquissimoque consilio, gravitate, ac magnitudine mentis obsisteret, juberetque in ipso me Portus Ostio vela colligere; quare commemoratis beneficiis, quibus è suo-

ſuorum rectè factorum celebratione affici Reſpublica poſtulat, cogendus propemodum eſt, ut cum totum ſe Civium ſaluti jampridem addixerit, nunc vel aliquid ſuarum virtutum, quod ei reliquum erat, pro comuni fælicitate devoveat. Enimverò, maxime Sacrorum Antiſtes, iis ornaris eximiis moribus, iis mores illuſtras præclaris geſtis, ut longè, latèque diffuſa, ac terrarum Orbem pervagata omnibus æquè admirationi, atque exemplo, præſidio, atque incitamento eſſe debeant. Itaque nulla eſt remota maximè Gens, nulla bonis legibus conſtituta Civitas, nullus hominum Ordo, qui non

totus, suo beneficio, in tuas se laudes effundat. At verò, dum ubicumque terrarum personant tuo nomine Mortalium aures, Arcades, qui immortalitatis memoriâ illustrium Virorum gloriam prosequuntur; ad tuas laudes celebrandas sua studia non conferent? Profectò sin minus à nobis, in te celebrando, Reipublicæ ratio ducenda foret, nos muneris, officiique nostri admonerent literæ, quibus operam damus à te mirificè excultæ, patrocinia literarum à te liberalissimè suscepta, Sedes, Mediusfidius, istæ à te magno quondam Alumno, ac Patrono occupatæ. Hoc igitur munere, dum Arca-
dum

dum nomine perfungi jubeor; ita moderabor Orationi meæ, ad eosque fontes res tuas amplissimè gestas revocabo, ut ex iis omnes intelligant, præstantem animi tui Virtutem docuisse te; in privata sorte maximum terrarum Orbis Imperium mereri; in Summi Sacerdotii Comitiis delatum ultrò recusare; in suprema rerum omnium potestate sic moderari, ut meritò ad comunem fęlicitatem, ad Christianæ Reipublicæ columen difficillimis hisce temporibus servatus fuisse videaris.

Verùm dum ad dicendum aggredior, nequeo non frangi vehementer animo, ac perturbari;

nam

nam quæ ſolet Oratorum mentes erigere, & confirmare, ampliſſima rerum copia, ea me ſummoperè in metum adducit, ac dicere incipientem deterret; ut mihi, quod ſolventibus è portu Nautis, uſuveniſſe videatur, qui cùm incipiunt jactari fluctibus, tùm periculi magnitudine, ac tempeſtatum metu exalbeſcunt, ad quæ capti peregrinarum mercium pulchritudine, iter ingredientes animum nequaquam adverterant. Illud me tamen recreat, quod cùm nulli tanta ſit ubertas ingenii, nulli tàm admirabile, & incredibile Orationis genus, ut poſſit dignè ſatis ornare verbis, & orando com-

complecti ampliſſima Principis noſtri decora, anguſti, demiſſique animi foret iis difficultatibus commoveri, quibus omnes obnoxii ſunt, cùm præſertim gloriam in illis conciliet ingens conatus, gratiam habita publicæ utilitatis ratiò, excuſationem, ſi non rectè expedieris, argumenti magnitudo. Unde nam verò initium potiùs dicendi faciam, quàm ab illuſtri ALBANAE Familiæ Nobilitate, quæ cùm jamdiù in Epiro virtutibus, & auctoritate floruiſſet, videretque omnem latè Græciam, clariſſimo quondam florentem Imperio, in malorum omnium fœdiſſimam ſervitutem adduci, non
eam

eam amplius sibi retinendam, Patriam duxit, à qua lætitia, felicitásque publica solum vertere cogerentur, sed in Italiâ pulcherrimâ terrarum Orbis Regione, ubi illas Civitate donatas conspiceret, sedem domicilii stabilem collocavit. Cùm verò jam tum eâ gloriâ circumflueret, ut par esset pluribus Gentibus illustrandis, Urbinum in Umbria, Bergomum in Cenomanis se recepit, à quibus non solùm ei Civitas data, sed in Patritium Ordinem cooptata, & honoribus aucta, sellas curules, atque omnia Magistratuum decora obtinuit. At quàm magnam retulit Civibus suis collati beneficii gratiam?

tiam? Velut enim è remotissimę terræ sinu ferax arbor ad nos traducta, benignitate pinguioris agri, salubriorisque Cœli, cultus industriâ, ingenioque Soli recreata ampliores edit ramos, & fructus nobiliores: Sic illa è Gręcia in Italiam transvecta, tot clarissimis Viris è suo trunco procreatis; auxit decorem suum, honestissimasque Urbes dignitate, atque ornamentis decoravit. Jucundum esset magna illorum nomina recensere, nisi unus CLEMENS omnium ad se oculos raperet, tantâque se efferret Virtutum, ac Majestatis proceritate, ut reliquos tegat arboris ramos, totamque sibi vindicet

Ora-

Orationem meam. Hac ille Urbini ortus egregia ſtirpe, domeſticis exemplis admonitus, non in umbra, & otio ſibi deliteſcendum putavit, ſed nullâ deterritus difficultate, nullis voluptatum blanditiis delinitus, rectâ ſuum iter contulit ad Virtutem, in eaque aſſequenda jugem, ſtrenuamque operam collocavit. Arbitror quidem, Auditores, ſi ulla fortè rerum humanarum cura ſolicitos habeat vitâ functos illuſtres Viros, unum iis omnium acerbiſſimum dolorem inuri, cùm ſentiunt Poſteritatis inertiâ corrumpi patrimonium gloriæ tot ſuis laboribus partum; qui enim (ſi fas ſit innocuos Ma-

nes

nes affectibus, ac perturbationibus nostris conflictari) non luctu, ac mȩrore tabescant, si quando videant, suis virtutibus ali, sustentarique ignobilis otii vitia, nec alium acceptæ dignitatis fructum constare Posteris suis, quàm claris imaginibus ornatam turpissimæ vitæ desidiam in amplissima honoris sede collocasse. Non istud profectò luctuosum vulnus inflixit Majorum suorum decori JOANNES FRANCISCUS ALBANUS, qui stimulis domesticæ laudis incitatus, statim se dedit in bonas artes formandum, commendationemque ineuntis ætatis ab iis literis duxit, quibus imbui ad humanitatem solet

Ado-

Adolescentià; tantùm verò in eis profecit, quantum nos docent publica Græcæ, Etruscæque eloquentiæ Monumenta, quibus sui nominis memoriam consecravit. Cùm verò jam tum aspiraret ad eam gloriam, ut ipsâ eloquentiâ, severioribus disciplinis instructâ posset, vel sapientissimorum hominum mentes flectere, ac veluti rationum vinculis detinere, quam earum sibi reliquam fecit, quin summâ ingenii alacritate perlustraret? Nullum fuit Naturæ arcanum, quod ei non aperuerit Philosophia, nulla rerum Divinarum Scientia, quam non hauserit è puris Theologorum fontibus; nulla sacri,

ſacri, civiliſque Juris dicundi peritia, quam à Legibus non acceperit. Age verò, quæ ſolertia in Conciliorum placitis evolvendis, quæ ſolicitudo in percipiendis Patrum ſententiis, quæ induſtria in indagandis ab ultima antiquitate Sacrorum Annalibus? Proh ſuperûm, hominumque fidem! Tanta ne, ac tàm illuſtris Scientiarum copia potuit unâ hominis mente contineri? At non ſolùm ille complexus eſt, ſed tàm celeri, atque expedito curſu omnia pervaſit, adeò memoriâ tenuit, tantam ingenii lucem præ ſe tulit, ut non ſolùm cum Leontino illo Gorgia conferri poſſit, ſed ei longè, mul-

tùmque antecelluerit, cui, cùm de omni re, quæcumque agitari cępisset, se copiosè dicturum profiteretur, Delphis aureum Signum altrix quondam disciplinarum Græcia consecravit. Vix autem iis disciplinis ornatus cœpit in præstantissima hac Religionis Sede, in ista Sapientissimorum hominum luce versari, cùm omnes omnium Ordinum Cives summo sibi amore devinxit, maximâ detinuit admiratione. Imploro vestram fidem Romana Lycëa, vos, inquam, oro, atque obtestor, quo ingenti plausu excepistis ejus tyrocinia studiorum, quibus estis eximiis illum laudibus prosecu-

ta,

ta, quam frugum maturitatem in ipſo etiam ætatis Vere ad vos afferentem conſpexiſtis. Veſtrũ ſit, ut ejus in vos meritis aliquam ſaltem gratiam referatis, tot ſingularia virtutum exempla, quæ nulla unquam ætas in toto terrarum Orbe conticeſcet, veſtris etiam ingeniorum conatibus celebrare, ne comuni hominum conſenſui defuiſſe videamini. Nam quid ego dicam de circumſepto graviſſimis moribus lubrico illo juventutis tempore? Aut qua vi vocis, qua gravitate verborum, qua animi contentione dicam? Magnum quiddam, atque admirabilis profectò indolis judico, collocare in bonarum

artium tutelâ, ſtudiiſque literarum coercere florentem ſenſuum jucunditate, atque exultantem lætitiâ quadam mentis Adoleſcentiam; at verò bellum voluptatibus indicere, temperare ſanguinis alacritatem, non aliquid dare temporis ad ludum ætatis, ipſius demùm Naturæ dicto audientem non eſſe, longè difficilius, Divinæque propè Virtutis indicium puto, nec niſi ab iis præſtari poſſe, qui cum Superis immortalibus ſint comparandi, vel eos ſaltem omnes propitios habeant. Præſtitit id quidem cumulatiſſimè ALBANUS, atque ita præſtitit, ut nullam ne levem quidem vitiorum ſuſpicionem

mo-

moverit ; ut non eum ab instituto cursu ad ætatis illecebras licentia morum vocaverit, non amœnitas Urbis ad voluptatum blanditias, non æqualium exempla ad turpem vivendi consuetudinem; ut illius Religionem, pietatem , constantiam Vitæ , æquanimitatem omnes admirari, paucos imitari potuisse contigerit. Noluit profectò carere diutiùs Respublica earum virtutum præsidio , quin etiam suo veluti jure postulabat, ut suas ille animi egregias opes in Civium salutem, in comune bonum conferret . Neque enim quos paucos fingit Natura magnos homines, atque excelsos , quibusque
 ad

ad fœcunditatem ingenii accedit ratio quædam, & conformatio doctrinæ, fas est in umbra, & otio latère, sibi tantùm moderari, suos solùm affectus animi in officio continere, atque his angustiis Provinciæ fines circumplecti; sed suscipienda Legum tutela, amplificanda Imperii dignitas, denique præstandum, ut privata unius hominis Virtus publicæ instar fęlicitatis sit. Morem sanè gessit, nec defuit Reipublicæ ALBANUS, quippè jam usque à mandatis sibi Magistratibus, nunquam non adhibuit in rei agendæ consilium Civium utilitatem, eosque fines suis virtutibus descripsit, quibus comu-

nis

nis salus continetur. Quid hìc ego Sabinam, Urbis-Veteris, Reatinamque Præfecturas commemorem, in quibus ita est summâ cum laude, integrèque versatus, ut commotam de se expectationem non solùm sustinuerit, sed quàm amplissimè superaverit? Quid proferam ejus mansuetudine discordias Civium sedatas, prudentiâ difficultates expeditas, doctrinâ Justitiam in Foro constitutam? Quid? lenitate audiendi mollitam Judiciorum acerbitatem, industriâ curatam Annonam, jura Civitatum sarta, tecta servata? Sint ista quidem ejus gloriæ monumenta in illarum Gentium animis condi-

ta; ſit firmiſſima earum laudum tutela perpetuò manſurus Urbium amor; non moror, quin ſibi parta beneficia Cives ab ætatis injuria tueantur, jucundâque recordatione leniant fęliciſſimi illius temporis deſiderium. Non ea tamen eſt eximii Viri excellens, atque admirabilis virtus, ut velit in geſto præclarè officio ornamentum dignitatis ſuæ conſtituere, ab iiſque rebus commendari, quæ prætermiſſæ luctuoſam criminis ignominiam inurunt. Definitur hiſce anguſtiis mediocris animi præſtantia; quæ verò eâ Sapientiæ vi pollet, eâque luce perfunditur, ut propius abſit à beatiſſima Superûm con-

condítione, tantos habet agendi fines, quantos amplitudinis suæ, illâque dumtaxat gloriâ ducitur; quæ maximis in Rempublicam meritis floreat. Magna rerum ita gestarum ab ALBANO exhibita exempla proferrem, nisi ad ea, quæ in Urbanis Magistratibus gessit, quibusque in ista Imperii Sede perfunctus est, illustriora Munera, contenderet animus. Tacitùs verò nullo modo præterire possum, quod cùm sæpè Egenorum crimina irrogatâ Multâ plectenda illi forent, Divino quodam consilio providit, nè pœnarum remissione labefactaretur Legum severitas, nève Legum severitate Reis quid-

quam

quam mali ad egeſtatem accederet; Siquidem cum legibus in eos animadvertiſſet, ipſe de ſuo pœnæ æſtimationem intulit in Ærarium. O novam, inauditamque artem Divinæ propemodum mentis! O miram, atque incredibilem præſtantiſſimi ingenii vim! Cui unquam id admirabilis ſapientiæ fuit, ut ſciret punire beneficiis crimina, ſuppliciis amorem excitare? Quis umquam vidit naſci præmia ab ipſo pœnarum ſinu, ab ipſis præmiis terrorem delictis incuti? Proh Deus immortalis! Gemunt legum acerbitate concuſſi Rei, lætantur ſimul in ipſo gemitu, & triumphant, fruuntur luctu,

amant ærumnas ſuas, tùm veró magis à ſcelere abhorrent, cùm vident ſcelera muneribus cumulari. Quod unquam illuſtriùs facinus poſteritatis memoriæ commendabitur? Eripuit mœrori nocendi vim, auxit medendi: inſtruxit novis artibus calamitates, eaſque ad benignitatem erudivit. Quid plura? vicit vel ipſas Virtutes, quæque nunquam icto inter ſe fœdere conſociantur Pietas, & Juſtitia, ſummâ fęlicitate compoſuit, eaſque ob publicas utilitates magnitudini animi ſui parêre coegit. Et mirabitur quiſquam, ſi hunc tàm eximiâ, ſingularique virtute prędictum, vixdum in Aulam revoca-

catum, Vicariamque juris dicundi provinciam in amplissimo Principis Apostolorum Templi Collegio obtinentem, INNOCENTIUS XI. difficillimo, amplissimoque muneri præfecerit? Neminem vestrûm latêre arbitror, Auditores, quàm grave, arduum, & illustre sit Apostolicis Epistolis conscribendis, quas Breves vocant, navare operam. Etenim cùm literæ animorum lineamenta referant, & sint veluti expressa coloribus imago mentis, qua Facundiâ, Gravitate, Prudentiâ, Fide, Religione, Sapientiâ ornatum putatis eum esse debere, qui Summi Sacerdotis sanctissima sensa, maximi omnium Prin-

cipis

cipis voluntatem mente conci- pere poſſit, in ipſiſque defixus, ad eorum ſimilitudinem verba dirigere, literaſque deſcribere? Reliquis Magiſtratibus traditur pars tantùm Majeſtatis ſuſtinen- da, neç magno cum periculo traditur, quippè qua vel immi- nutâ neutiquam ſumma Reipu- blicæ ſalus periclitatur; Huic au- tem tota Imperii dignitas com- mittitur, Legum expoſitio, Fi- dei inconcuſſa oracula, Divini Ærarii procuratio, ſenſus deni- que, animuſque Pontificis, apud quem cùm res omnium maximæ agantur, quis ignorat, ad ipſas nonniſi eum admoveri poſſe, qui ingenii, probitatis, ſcientiæ fru-

ctum

ctum ſit ampliſſimum conſecutus, quibus muneris dignitatem tueatur. Hoc igitur graviſſimo, ornatiſſimoque munere cùm ALBANUM decoraſſet INNOCENTIUS, palàm omnibus fecit, quæ de eo præjudicia feciſſet, quamque honeſtiſſimam de ipſius Virtutibus ſententiam ferret. Neque enimverò ſua illum fefellit opinio, ſiquidem in eo gerendo adeò omnes induſtriæ, & Sapientiæ nervos intendit, adeò probavit operam ſuam, ut citò ſint ei Meritorum præmia perſoluta. Nam ALEXANDER VIII. æquiſſimus ALBANI æſtimator, illum eâ adhuc florentem ætate, unde plerumque cæteri vixdum hono-
rum

rum curſum inſtituunt, præclariſſimo Romanæ Purpuræ decore honeſtavit. Quid hìc agam, Auditores, quò me vertam, quod ineam conſilium? Verſatur enim mihi ante oculos tàm varia, tàm multiplex, tàm latè diviſa, atque diſperſa rerum ab eo geſtarum ſeges, ut deterrear magnitudine, capiar pulcherrimâ earumdem ſpecie, incertuſque animi ſim, quò pedem conferam, quò curſum dirigam, quod iter inſiſtam. Veluti qui è ſuperiori loco, undè ad amæniſſimas terrarum partes longè, latèque pateat aſpectus, Maria, Flumina, Lacus, Colleſque apricos, ubi ſuavitèr blanditur oculis Natura, circumſpi-

ciunt, ii quidem omnia propiùs perluſtrandi cupiditate flagrant, ſed dum incerti deliberant, quò ſe primùm conferant, immobiles hærent, atque oculos intereà paſcunt Regionis amœnitate. Cùm autem nihil Albanus egerit, niſi in maximâ ornatiſſimorum hominum frequentiâ, nihil niſi in ampliſſimæ hujus Urbis aſpectu, non eſſe videtur, cur in omnes cunctis pervulgatas actiones ſtudium dicendi conferam; earum dumtaxat collectis fontibus vobis ante oculos poſitis præibo cogitationes veſtras, ut jucundâ ipſarum recordatione maximam capiatis animo voluptatem; mihi verò memoriâ

ve-

vestrâ feratis opem, si in aliquo difficili Orationis loco laborare contigerit. Auctus itaque honoribus ALBANUS, visus est etiam augeri summâ quadam agendi facultate, splendoremque dignitatis, facinorum multitudine, & gloriâ superare, cùm nè illi otiũ quidem unquam otiosum fuerit, ut magnifico, eximioque Catonis dicto semper obtemperasse mihi videatur, magnorum, scilicet, Virorum non minus otii, quàm negotii rationem extare oportere. Nego enim in hanc amplissimam Christianæ Reipublicæ Sedem, in hunc Principem Religionis locum ex clarissimis totius Orbis regionibus ne-

gotium ullum delatum fuisse, quod ei datum non fuerit, non obierit summâ industriâ, virtute explicaverit, auctoritate confecerit. Nego quidquam ardui, & illustris Maximis Pontificibus Innocentio XI. sub finem Imperii, Alexandro VIIJ., & Innocentio XIJ. in Regni administratione accidisse, de quo non fuerit ille sententiam rogatus, suffragium non tulerit, suis consiliis sapientissimas Pontificum Mentes non juverit. Nego in Aulâ tot variis hominum curis impeditâ; tot diversis voluntatibus, studiis, sententiis distractâ, eâ potentiâ, ac splendore clarissimis Viris ornatâ, difficultates ullas

ullas obortas, in quas ille molliendas, ſedandas, diſſolvendas ope, conſilio, prudentiâ non incubuerit. Magna hæc licèt jure, ac meritò videantur, tamen ad quam vultis majorem ſpem animos erigite, vincam profectò expectationem veſtram. Ecquis fuit amplior, difficiliorque Magiſtratus, quem ille non geſſerit? Ecqui in Magiſtratu gerendo curarum nexus, quem ille non ſolverit? In dicenda in Senatu ſententiâ laudatur maximè robur animi, & dignitas? nunquam non magno, atque erecto animo dixit. In cognoſcendis, tranſigendiſque negotiis extollitur laborum tolerantia, conſilium,

induſtria? Mirùm, quantùm eorum periculum fecerit, quantùm in iis præſtandis ſtudii, operæque poſuerit. At enim graviſſimis Reipublicæ occupationibus implicato videbitur fortaſſe nihil vacui temporis fuiſſe Privatorum commodis procurandis? eâque gloriâ caruiſſe, quæ ſi minus habet ornamenti, & ſplendoris, at quidem gratiâ, & hominum celebratione plurimùm commendatur? Nemo profectò magis in fidem, & clientelam ſuam omnium Ordinum Cives ſuſcepit, nemo eorum utilitatibus plus indulſit, ſuum tempus Amicorum temporibus contulit. Publicis muneribus præfici quis poſtulabat?

bat? Socium sibi, atque adjutorem petendis Magistratibus ALBANUM ascivit. Premebantur alii invidiâ, & adversà Principis opinione? ALBANUS evulsit, nec passus est, innocentiæ malam famam inuri; quem perditâ, multùmque jactatâ fortunâ miserum, spe non erexit, non juvit auxilio, auctoritate non fovit; atque ea quidem tantà benignitate, animique propensione gessit, ut illa majora parta Reipublicæ beneficia ab ipsa Virtute, hæc ab eximia, præstantique Natura proficisci viderentur. Hinc, illius domus quæ celebratio quotidiana? quæ dignitas? quæ Legatorum frequentia? qui Candidato-

rum concursus? quæ studia amicorum? quod commune Civitatis perfugium? Verùm enimverò domesticas Civium difficultates, profligatasque fortunas non solùm officio, & benevolentiâ sustentavit, sed re, re, inquam, familiari, quamvis non satis amplâ, sæpè illis est quàm liberalissimè opitulatus, ut inde ALBANUM non inanem aucupari gloriam, quæ numquam, aut ægrè pretio redimitur, sed explere desiderium Virtutis, insitamque pietatem, vel effusis opibus alere nemo non intelligeret. Quid moror studiis literarum imbutos homines, conflato ære alieno, afflictàque fortunâ oppressos, quin

quin hujus præstantissimi Viri beneficentiâ solutos se fateantur, contendantque summis viribus, nè præclarum, egregiumque facinus, receptas scilicet à Virtute opes, Virtuti restitutas, ulla umquam deleat oblivio? Quid? rerum inopià laborantes Virgines, quin hujus liberalitati acceptum referant illustre Pudicitiæ decus, quodque ipsis vitæ turpitudo formæ venustatem non extinxerit? At si omnia persequi dicendo vellem, nullus esset Orationis modus; Sit tamen ALBANO una instar omnium amplissima laus, nullam parem suis laudibus Orationem esse; dum verò tot, tantisque rebus præclarè gestis

conturbat dicendi artem, eam famam omnium maximam subeat, quæ admiratione, plusquam pervulgato Civitatis sermone continetur. Quis tamen ex tàm amplâ clarissimorum facinorum copià possit unum, aut alterum silentio præterire, quibus est quidem conata spectatissimi Viri modestia tenebras offundere, sed illa maximo suo splendore prodita, cunctorum mentis aciem perstrinxêre. Concussà, perditàque valetudine conflictabatur Vir quidam summo loco natus, atque illustri Generis nobilitate. Vim morbo dabant ingentes curarum solicitudines, quæ corporis, animique ango-

angore confectum, ac propè mortem obeuntem miserrimè dilacerabant; etenim cum numeratis quingentis supra duo scutorum millia expianda illi conscientia foret, naufragus patrimonio, quique maxima vulnera in re, fortunàque domesticà accepisset, maximis angustiis præmebatur, nec quidquam ei reliquum erat, unde se his vinculis solveret. Compresserat pudor voces, sed oculorum, frontis, vultus denique totius aspectui, ubi vel nobis invitis tacito quodam sermone loquitur animus, à mestitia occupato satis inerat eloquentiæ, ut ægritudinis vim; parum, ut quæ forent illius propul-

pulsandæ remedia, Familiarium, pietati indicaret. Affuit misero, veluti è Cœlo delapsus ALBANUS, dissolvit verecundiæ vincula, retudit curarum tela, jussit bono animo esse. Satis hæc ad pietatem, officium, benevolentiam videbuntur, & meritò, si ad fractas horum temporum, debilitatasque virtutes animus adjiciatur; sed ad se ipse adjecit, sibi solùm ALBANUS exemplo fuit; numeravit pecuniam, dono dedit, rogavit, O Virtus, atque incredibilis Virtus, rogavit, inquam, ut si qua reliqua solicitudo foret, sibi statim depulsuro patefaceret. Quid in eximio, clarissimoque facinore complectar

ctar verbis, ſtudiis proſequar; ſummis laudibus extollam? Liberalitatem? quæ tantùm argenti pondus erogavit. Miſerationem? quæ ſtatim ſuppetias tulit, alienis lacrymis commota. Magnitudinem animi? cui neutiquam divitiarum amor impoſuit. Verùm quamvis ibi nulla earum Virtutum non teneat ampliſſimum dignitatis locum, tamen id potiùs honeſtiſſimo omnium ſermone celebrandum puto, quod ad illud inſigne, ornatiſſimumque facinus decorandum, prodendumque Poſteritatis memoriæ, tot, tantæque ſimul, velut inita ſocietate, conſpiraverit, atque adeò in altiſſi-

mo

mo honoris gradu posuerint, ut omnes existimare ita debeant, Virtutes impensiùs illorum famæ consulere, gloriæque servire, qui prius ipsis obtemperare didicerint. Atque ista quidem ALBANI in contemnendis opibus sapientia tàm longè, latèque patuit, tantaque præ se magnanimitatis exempla tulit, ut ea tàm illustria, tàm sæpè instaurata in lucem prodere non necessitatis, aut officii, sed consilii, & virtutis fuisse palàm omnibus fecerit. Nam, ut reliqua omittam, duodecim scutorum millibus labentem amplissimi Viri fortunam fulcire studuit, qui quamvis repudiati, tamen

etiam

etiam non accepti, ac nullo collato pretio ingentem ejus nomini gloriam compararunt. Quis fuit umquam partis ſibi divitiis adeò clarus, adeóque beatus, ut ALBANUS effuſis? Quis umquam graviori fænore occupavit pecunias, quàm cum illas ALBANUS in aliorum ope conſumpſit? Quod ſi florent egregià, ſummàque hominum æſtimatione res illæ geſtæ, quibus multùm ſplendoris, parùm ineſt difficultatis, hæc, quæ nonniſi potentioribus devictis animi affectibus ſe ſe omnium Mortalium oculis exhibet conſpiciendam, quà vigebit memorià Sæculorum? quibus omnium Gentium ſtu-

ſtudiis commendabitur? Non ego deinceps ullà tenear admiratione, ſi nuſquam Fortuna clariſſimo Viro inſidias collocare potuerit, cùm de ipſa auri cupiditate, qua rerum illa humanarum domina, plerumque animorum potitur, & qua curis eos graviſſimis conficit, Victoriam retulerit, honeſtiſsimum triumphum egerit. Enimverò quodnam illi poterat Fortuna vulnus infligere? quibue adverſis rebus tentare? quo bello incredibilem ejus animi conſtantiam concutere? qui eo mentis robore, earum Virtutum præſidio ſe inſtruxerat, atque adornaverat, ut ipſam Fortunam in ſua poteſtate retinere,

nere, ejusque vim, & potentiam vicisse videretur. Verùm cum summoperè celebretur magnifica vox illa Demetrii Regis, malè actum cum iis Mortalibus esse, quibus adversi nihil umquam acciderit, cumque ad illustre ALBANI nomen pertineret non solùm eà glorià exornari, quæ in secundis rebus æquabili servatà mente, sed etiam, quæ in adversis commendatur, insidias ei, quas non licuit Fortunæ, Virtus instruxit, novoque, atque inaudito pugnæ genere lacessivit, in quo præclarum ALBANO fuit summo studio, summàque vi dimicare, præclarius vinci. Etenim cùm singularis ejus animi

mi

mi præstantia, rerum eximiè gestarum copia, dignitas morum, atque amplitudo mentis, quibus jamdiù meruerat altissimum honoris gradum, in eam voluntatem sacrum, clarissimũque terrarum Orbis Senatum adduxisset, ut ei Christianæ Reipublicæ Imperium deferret, diù pugnandum ipsi cũ Senatu fuit, ut illum de gravissimo isto consilio deduceret, diù secum, ut suam sententiam ad ejus judicium adscriberet. Animadverti, Auditores, vos ad Imperii nomen, clarissimæque hujus concertationis voces excitasse animos, summàque exarsisse cupiditate, ut illud admirabile, ornatissimumque

que

que facinus ad vestras revocem cogitationes, cujus splendore nostra semper Ætas illustrabitur, postera verò Sæcula ingenti admiratione defigentur. Etenim quamvis nullius adeò peregrinentur aures, nullus tàm sit remotus terrarum locus, ubi honestissimus illius rumor non percrebuerit, tamen eâ majestatis, gloriæque luce decoratur, ut Solis instar, quo sæpiùs in illum intenditur oculorum acies, plus ab illo radiorum Fonte derivari luminis videatur. Venerat profectò in mentem indicare dumtaxat locum, & cum omnem propè verborum vim in tot, tantisque rebus enarrandis consumpserim,

rim, nec poſſet ullo conatu, ullâque facundiâ ſatis à me pro dignitate admirandum facinus exponi, eâ ſolertiâ, induſtriâque uti, qua præſtantiſſimum quondam totius Græciæ pictorem Timantem adhibuiſſe literis eſt conſignatum, qui cum coloribus referret immolandam Iphigeniam, expreſſit quidem triſtem Calchantem, mæſtum Uliſſem, mærentem Menelaum; ſed cùm ad ingentem Agamennonis patris luctum, qualem mente conceperat, nequiret artem, manumque dirigere, illius capiti pannum obduxit, ut quem ipſe formare acerbiſſimum dolorem non potuiſſet, ſuâ ſibi quiſque

co-

cogitatione dipingeret. Verùm cùm res ipſa tantùm decôris habeat, ut ſuà ſe ornet venuſtate, non eſt, cur deſim cupiditatibus veſtris, ab ejuſque ſplendore lucem non quæram Orationi meæ. Habebantur creando Pontifici Maximo clariſſima Terrarum Orbis Comitia, nec adhuc inter Senatores convenerat, in quem ſuffragia conferrent; cum novis, magniſque difficultatibus oppreſſa Reſpublica imploravit Senatus opem; afflatus iſte conciliatrice animorum Divini Spiritus aurà, velut unicum feſſis rebus præſidium, ALBANUM ad tractanda Reipublicæ gubernacula, ad ſuſtinendam Imperii molem

ſtatuit admovere. Expavit ille ad Regni nomen, ac terrore perculſus obriguit, obſtupuit; tacent enim vehementiores animi affectus, ſi tamen quidquam eſt ſilentio illo facundius; inde collectis viribus orat, inſtat, urget, obteſtatur, nè ſibi in ampliſſimo omnium præmio ſupplicium tàm grave conſtituatur. Ad admirabilem vocem ſtupor, qui priùs ALBANUM occupaverat, oppreſſit Senatorum mentes, non tamen è ſententia dimovit, quin confirmavit eò magis, quò ille dignior erat Imperio, cùm recuſabat. Doluit tum vicem ſuam, atque ægrè ferens in ipſa virtute fontem mæroris ſui repe-

riſſe,

riſſe; à qua putaverat omnem ſibi defluxuram fęlicitatem, dedit ſe lacrymis, ut quos virtute non poſſet, fletu molliret. Tum verè gemitus viſus eſt majeſtate decorari, atque ipſam fortitudinem animi gravitate, dignitateque ſuperare. Cùm ſe fruſtra in lacrymas effundat, tandem manus dabit ALBANUS? Nil minùs? Florentem ætatem ſuam præſefert, quà propemodùm Senatores omnes eidem pares, aut antecellentes ætate de ſpe regnandi dejiciat, promit rationes, argumenta concinnat, in omneſque ſe verſat partes, ut Senatum à ſuſcepto conſilio deterreat. Addi quidquam ad iſtam con-

ſtantiam, ac magnitudinem animi poteſt? Reperietur. Tanto concutitur ſupremæ Dignitatis metu, tanto conficitur delati ſibi Imperii dolore, ut tandem in morbum incidat, ac febri laboret. Eſt nè aliquid ultra, quò progredi Virtus poſſit? Inveniet. Summà vi, ſummiſque precibus orat Deum Optimum, Maximum, ut ipſi maturatà morte à Regni formidine caveat. O Superi conſervatores hujus Imperii, quando nam poſt heroica illa tempora in hac ampliſſima Sede tanta magnanimitatis prodigia vidiſtis! O omnium elapſarum ætatum memoria, fuit nè tibi umquam illuſtrius factum tra-

tradendum Posteris consignatum! ALBANUS eo studio recusat Imperium, quo cæteri acquirunt: decertat, ut serviat: pugnat, nè summà cum potestate sit in Orbe Terrarum. At verò quæ pugna? Si tempus spectes? Longo trium dierum spatio pugnata. Si vires? Summà contentione. Si numerum? Cum omni Senatu. Si prodigia? Quod majus Monstrum, quàm ingens Regni, veluti servitutis horror; quàm tamdiù constans ratio Comitiorum, in iis quando vel nox una interposita, vel levis aura opinionis tantos excitat fluctus, ut sæpè qui portum tenere videbantur, æstus absorbeat. Tamen re hactenùs

integrâ, in nullamque partem inclinante victorià. Quid tandem? Indicuntur supplicationes, fit maximus concursus ad Templa, ac Superum Aras; ALBANUM Religione obstringunt, conscientià terrent rerum Divinarum Mystæ, certat Senatus precibus, & auctoritate, ut denique tot machinis admotis, tanto impetu concussus, pugnans tamen, ac renuenti similis, cedat omnium votis, cogatur Regni habenas moderandas suscipere. Civitas omnis è suis sedibus convulsa, quasi de summa Republica, de communi Religione ageretur, anceps ad Comitiorum sedem convenerat, & quamvis res om-

nis videretur constituta, faciebat tamen ALBANI virtus; & magnitudo periculi, ut non timere sine aliquo timore non posset. Intonuit tandem læta vox illa, quæ omnem metum dissolvit, qua ALBANUS est, CLEMENTIS sibi nomine ascito, Pontifex Maximus renuntiatus. Qui tum plausus? Quæ acclamationes? Respondit festivis clamoribus Civitas, visaque non modò est omnium Ordinum, Fortunæ, loci multitudo, sed mænia ipsa, ac Divorum Templa ingenti gaudio perfundi. Quantus verò cumulus ad reliquas voluptates accessit, cùm demum CLEMENTIS aspectu longè jucundissimo

mo recreati vidimus in ſumma Fortuna lugentem Principem. Enituit ſiquidem in iis lacrymis ampliſſima noſtri gaudii ſpes, in illo gemitu communis Populorum lætitia; Tum enim mœrore Principes obruuntur, cum illis ea ſolùm Regni ſpecies ante oculos obverſatur, quæ præſefert gravem præſtandam Reipublicæ ſervitutem, in qua libertas, fælicitaſque publica continentur. Gemunt perſæpè Cives, ut ſuis lacrymis alant Principum gaudia. Lugebat Clemens, nè ulla in Civium animis hæreret ſolicitudo: madebant oculi fletu, quem receptæ jam tum in ejus ſinum maximæ Terrarum Orbis ægritu-

tudines exprimebant: hinc communis omnium lætitia, Principis luctus. His enim verò commotus, nullam sibi moram fecit, quin statim ad procurandam Rempublicam animum adjiceret, quam nè oborta inter potentissimos Principes dissidia concuterent, ac labefactarent, omni studio, sapientià, virtute ad conciliandam pacem incubuit, quibus officiis eorum animos non delinivit, quibus non studuit precibus frangere, auctoritate componere. Sæpiùs exaratas dexterâ illâ, fœderum Terram inter, Cælumque conciliatrice, literas ad ipsos dedit, atque eloquentià, gravitate, consilio, prudentià refertas literas?

ras? Respiravit à metu Italia, respiravit Europa, cùm vidit CLEMENTEM sedulò paci, omniumque tranquillitati consulentem. Omnibus tum lætitiis incessimus, cùm credidimus Pontificis manu è Cælo deductam, hilari fronte ad nos beatissimam quietem descensuram. At non erat, cur frui statim CLEMENTIS beneficio possemus. Latuit tum nos arcanum, idque temporis publicę tranquillitati tribuendũ optavimus, quod commodis potiùs nostris, quàm ejus dignitati conveniret. Periclitandæ priùs erant armorum vires, tentanda belli fortuna, nè si repentè omni tumultu composito, sedatisque socialibus discordiis

diis tenuissemus placidissimum otium, nostrâ illud felicitate, non Pontificis sapientiâ partum videretur. Florescet quidem, ô utinam longas non habeat moras, florescet hujus auctoritate, ac sapientissimorum Principum temperantiâ lætissima quies, eximiumque opus, non nisi uni acceptum referemus pacificatori Pontifici. Interim ipse, dum ardet bello Europa, ad conciliandum Mortalibus immortalem Deum omnia studia pietatis, ac Religionis contulit, strenuamq; adhibet usque curam, ut ab irato Numine tela ærumnarum extorqueat. Vidimus illum summo labore Divina semper obire nego-

go-

gotia, sedulitate curare Sacra, Fide preces ad Deum effundere, præsidium afflictæ, perditæque Reipublicæ implorare. Vidimus Pontificem Maximum infimæ plebis hominum pedes, ad sacra ista Religionis monumenta adeuntium, abluere, suis manibus alimenta præbere; concussâ valetudine miseros ope, ac cibo recreare; mortem obeuntibus conferre Divina Fidei Mysteria. Vidimus CLEMENTEM amplissimè Dignitatibus insignibus, & ornamentis decoratum è superiori loco, incredibili vi, doctrinâ, eloquentiâ docentem Populos, profligantem vitia, virtutes revocantem. O' diu desideratam,

ac tandem redditam Christianis muneribus majestatem! O' sanctissima vetustatis exempla! O' antiquæ Religionis imagines! Auxit enim verò humilitas illa summi Sacerdotis dignitatem, ac ma.ori luce perfudit; dum tantus fuit demissi Pontificis splendor, ut illicò noctem cujusdam ex infaustc grege aberrantium à à sanctissimà nostrà Religione dissipaverit, qui in humili, ac spontè abjecto CLEMENTE vidit, nonnisi à vera Fide arcanam illam virtutem oriri posse, quę miro nexu demissionem cum amplitudine consociaret. Et quisquam dubitabit, quid CLEMENS in evertendis erroribus sapientiâ,

do-

doctrinâ, auctoritate perfecturus sit qui tantùm solo morum exemplo perfecerit? Equidem ut quondam P. ille Scipio natus ad interitum, exitiumque Kartaginis videri potuit, qui Urbem potentissimam à multis Imperatoribus oppugnatam, concussam, ac penè in ditionem redactam solus fatali quodam eventu diruit, funditùsque delevit, ita CLEMENTEM, si unquam alium, ad colligendos aberrantium greges, ad destruendas impias Religiones Divino quodam munere donatum Reipublicæ fuisse crediderim. Quis enim tam rerum ignarus vereri audeat, quin hoc salutari, sapientissimoqoe consilio in isto uno
con-

congesserit immortalis Deus tot ornamenta virtutum, earumque rumor benevolo perduellium sermone celebratus ad omnes ipsorum Provincias peragraverit. Meritis quotidie laudibus Christiani nominis hostes CLEMENTEM prosequuntur; prosequuntur verò? Quin etiam ipsius nomine percusso apud Germanos Nummo, posteritatis memoriæ commendarunt. Et quos jam detinet admiratione, devincit benevolentiâ; Fidei vinculis non obstringet? Quòd si tantus eos furor invaserit, ut velint in perpetua nocte versari, sciant satis esse ad CLEMENTIS gloriam, suis ipsum mentibus affulsisse. Recusent illi

quidem Pontificis Maximi Imperium, sed tamen Pontificem laudent; nullum erit profectò demissius obsequii genus, quàm quàm quòd hostes ejus virtuti deferunt, nec meliùs unquam servient, quã cùm ad illius laudes celebrandas Imperio virtutis coercentur. Quid illustrius ad Principis nostri commendationem excogitari potest? Ornatur ille tamen majori etiam decoris luce. Magna quidem CLEMENTIS gloria, & rarò audita, quòd ejus virtutes vel ab invidis inimicorum oculis conspiciantur; major verò, quòd easdem ipse non videat. Obstupescant illi tantas animi egregias opes, earum se potiri

CLE-

Clemens ignoret. Illustrior utique erit ignotâ sibi virtute suâ, quàm cunctis perspectâ. Audivimus enim crebris illū usurpare sermonibus, procurandæ Christianæ Reipublicæ se imparē esse, nec compotem earum rerum, quę conducunt prosperis Imperii rationibus, communique Populorum saluti. Non æquâ profectò admirabili virtuti suæ ducitur opinione, & quæ non rectè consentit rerum gestarum amplitudini. Tamen fas esse non judico quemquam magnanimis hisce vocibus adversari, aut repugnare, nè ille ex augusta animi demissione amplissimum gloriæ fructum consequatur; quin etiam

gratulor Reipublicæ fęlicitatem suam, cùm ei Princeps ille summo cum imperio præsit, qui cum tantâ se efferat illustrium factorum copia, tantâque ipsi prudentiâ, consilioque moderetur, non sibi tamen ejus adhuc utilitati, ac publico bono consuluisse videatur. Majora siquidem meditatur, qui cùm semper tam magna gerat, nullo tamen habet in pretio, ac obruitur rerum agendarum splęndore si in quæ plura ægit amplissima, animum non intendit. Humiliter, demissèque sentiat CLEMENS de suis in Rempublicam meritis, ut eâ opinione commotus, cùm ipsi maximè, cupiat opitulari, studeat parta

jam

jam beneficia novis ſemper muneribus vincere. Æquiorem nos utique ſententiam ferimus de ſingulari, eximiâque animi ſui præſtantiâ, & quid illa poſſit, ex facinorum magnitudine, quid velit, ex conceptâ majorum geſtorum ſpe rationem ducimus. Neque enim exigua nobis videri poſſunt, quæ hactenus accepimus bona, conſtitutum ſcilicet optimis Legibus ſacri Ordinis decus, compreſſa morum licentia, amplificata Templorum Religio, Annona ſeveris Magiſtratibus ſtabilita, quæ durior fieri videbatur, militum copiæ non tàm ad pacis ornamentum, quàm ad belli præſi-

dium instructæ, atque adornatæ, cùm Munitiones, & Regni fines firmissimis omnium custodiis, Religione videlicet se tueantur; quod verò longè jucundissimum, atque insperantibus Civibus accidit; in tanta Ærarii difficultate, nulla nova imperata tributa. Mirantur siquidem omnes, unde in acceptum retulerint Tribuni ærarii tantam pecuniarum vim, qua recentibus Imperii difficultatibus subventum sit. At sciant parsimoniam, prudentiamque Principis in administrandis publicis opibus maximum vectigal esse. Quod si debent CLEMENTIS Sapientiæ Cives optimè constitutam Rempublicam,
Pie-

Pietati auctum Sacrorum cultum, Pudori mores ad sanctitatem revocatos, Providentiæ otii, ac pacis securitatem, Sapientiæ recepta in fidem, tutelamque suam studia literarum, par erat, ut Frugalitati, ac Temperantię acceptas referrent nullo tributo conturbatas fortunas suas, nè ulla sit Pontificis Virtus, quæ ingenti parto beneficio non commendetur. Illud verò quanto nos afficit gaudio, atque admiratione, quod in summa rerum omnium potestate, in altissimo dignitatis gradu privatus esse non desinat; eà enim ipse bonitate, quà cùm privatus ageret, facilem se omnibus præbet, comi-

tate condit gravitatem, benevolentià excipit Mortalium obsequia, ut CLEMENTEM regnare non ex elato supercilio, aut frontis contractione, sed ex majoribus collatis in Rempublicam beneficiis compertum Civibus sit; quin potiùs, non ipse, sed suæ dumtaxat Virtutes Imperio potiri videantur. Enimverò ad cumulandam Rempublicam bonis, ad immortale tui Nominis decus conspirant Virtus, & Indoles tua maximè Pontificum CLEMENS, nec quidquam nobis reliquum faciunt, cujus nos teneat desiderium; affert muneribus tuis pondus omne, atque amplitudinem Virtus gratiam

præ-

præſtans, atque admirabilis Indoles, qua ea ipſa munera ſuavitate quadam aſpergis, ut tua eſſe, & à te profecta benignitatis indicio patefaciant. Nè verò quid ſplendoris tuæ clariſſimæ gloriæ deeſſet, habuit etiam in te ornando ſuas partes Fortuna, cum iis arctiſſimo neceſsitudinis vinculo devinctus ſis, qui tecum non minus ſanguinis, quàm Virtutum cognatione coniungantur. His tot, tantiſque bonis cumulati, non eſt cur deinceps aut deprecandis publicis calamitatibus, aut pro comuni incolumitate defatigemus Superos precibus; Satis erit in unum deſideria noſtra colligere, ac

nun-

nuncupare vota pro tua solùm salute; ab ea enim Salus Reipublicæ pendet, in isto omnium præstantissimo beneficio, quò jam donati fuimus ab immortali Deo, in Optimo scilicet PRINCIPE, munus omne, Terrarumque Orbis felicitas continentur.

FINIS.

IM-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

Dominicus Episcopus Verulanus Vicesg.

IMPRIMATUR,

Fr. Paulinus Bernardinius Ordinis Præd. Sac. Apost. Palatii Magist.

